



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De causa diligendi Deum, 9

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

sup-
Sed
it,&
sem-
scri-
niscia-
itu-
uni-
didi-
no-
dicto-
nim-
ideo-
Deus-
osius-
ma-
s, ut-
tum-
dum-
ima-
para-
Deus-
iper-
tudi-
nira-
e ad-
san-
non-
ini-
la ad-
ergo-
, in-
super-
nnia-

omnia diligam ; & tua infinita beneficia recognoscam , mente teneam , & pro ipsis gratias tibi agam : & in fine vitam in amore mihi misericorditer concede sempiternam , Amen.

C A P V T I X.

De causa diligendi Deum.

1. **O**Misericordissime Domine Iesu Christe, causa diligendi te, tu ipse es. Et te diligendi modus est sine modo : quia cum infinite bonus sis , & omnis modus noster diligendi finitus, diligendus es supra omnem modum : Et ideo nihil te justius nihilque fructuosius diligi potest. Infinitum namque, Domine Iesu Christe , vere amantium amor, meritus es de nobis ; quia nobis immeritis temetipsum dedisti. Tu es causa efficiens & finalis amoris & dilectionis , ut occasionem habeas glorificandi nos ; quia tu occasionem das, tu affectionem creas, tu desiderium consummas. Tu enim fecisti hominem, imo factus es homo , ut te amemus. Tuus amor amorem nostrum præparat & remunerat : præcedit benignius, & expectatur suavius , & dives est in omnibus, qui invenit illum.

2. Se dat in meritum, se servat in præmium sanctorum , & se distrahit in redemptionem captivorum. Si tuum meritum queritur , illud est præcipuum ; quia tu prior dilexisti nos. Et ideo dignum & justum est, ut te redamemus : præsertim si mente humili & devota desiderare velimus tutam misericordiam , gratuitam dilectionem , inopinatam

Y 2

digna-

dignationem, invictam mansuetudinem, & stupendam dulcedinem. Quid enim aliud ista faciunt, benignissime & superamabilis Domine Iesu Christe, diligenter considerata; nisi ut considerantis animum ad te viscerabiliter rapiant, vehementer afficiant, faciantque contemnere omnia praeter te, Domine? Verus amor tuus, clementissime Domine Iesu Christe, vacuus esse non potest: sed ejus præmium incipienti proponitur, amanti promittitur, & perseveranti redditur. Anima te Domine veraciter amans, aliud praeter te sui amoris præmium non requirit; aut si aliud requirit, profecto te non diligit.

3. O mitissime Domine Iesu Christe, ego sum ille perverissimus peccator, qui te posthabendo in transitoriis & caducis amorem cordis mei posui: & illa quæ diu servare non poteram, tota mente dilexi. Adjuva me, piissime Domine Iesu Christe, amator fortis: & dirige cor meum, ut te amem & diligam, mundana contempnens; ea tanquam inutilia & noxia penitus derelinquam; peccata odio habeam, de præteritis doleam & condigne virtute amoris satisfaciam, & à futuris malis & peccatis præveam: ut tibi amore sincero & assiduo serviendo & placendo, tandem tuam dilectionem per infinita sæculorum sæcula adipiscar immortalem, Amen.

CAP VT